

compositum, aut veterem aliquem priscorum poetarum, & quod reliqui canentes auscultaverint in silentio. Cæteri Israelitæ etiam domi suæ, in itinere, vel cum ex agris redirent, & alias, carmina canebant, ne pueris quidem exceptis, quod ex Matth. XXI, 15. constat. Maxime vero, cum Pascha celebrarent, certos quosdam Psalmos decantare solebant, quem morem Servator ipse, suis cum discipulis, exemplo suo probavit. Matth. XXVI, 36.

Thef. IV.

Postea vero quam in Synagogæ Judicæ locum, Christianorum Ecclesia successit, varia quoque cantionum sacrarum genera, diversis auctoribus, invaluerunt.

Εκθ.

§. I. **U**ti enim Christianorum Ecclesia, quantum licuit, & fieri potuit, ad Judæorum sese instituta & ritus accommodavit; sic etiam morem canendi, in sacris studiose retinuit, ut quæ minime ignoraret, cantum esse partem cultus divini nobiliorem. Apostoli vel in carcere canebant, & προσευχόμενοι ὕμνευ τὸν Θεόν, Act. XVI, 17. idque ut quilibet hilarioris animi faciat, Jacobus jubet, C. V, 13. Denique gravissima Pauli adhortatio est, scribentis: *Docete, & commonete vos invicem cantionibus, & laudibus, & cantilenis spiritualibus, cum gratia canentes in corde vestro Domino, Col. III, 10. Eph. V, 19.* Ex quo colligere in proclivi est, injungi nobis Psalmos, Hymnos, & Odas. Quæ tria BASILIUS M. (a) ita distin-

B 3

guit:

(a) in Ps. XXIX, T. I. OO. edit. Paris. Sonniana f. 187.